


36

01

A

6631



28

GLANDIS  
GONORRHOEAM  
METASTATICAM

\*\*\*\*\*

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE. ORDINIS  
MEDICI H. T. DECANO

D. OCTOBRIS MDCCLXXXVI.

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICE EXPOSTIT

AVCTOR

IOANNES SEBASTIANVS KLAERICH.

FRANCOFF RTENSIS MARCHICVS.



---

TRAJECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

GLANDIS  
GONORRHÖEAM  
STADTATTEL


LETRIO TUMVARIUS HARTMANNI

D OCTOBRIS MDCCLXXVII  
DOCTORS MENSES DIOCINATI

IOANNEZ SEBASTIANE KERNAUCH

LEHMICHTAID ANDRAS

E TYLOCRATHEO WINTERVINO



## PROOEMIVM.

Quod de poëtis HORATIVS, idem profecto de medicis haud temere adfirmare ausim; nos nimirum saepe numero recti species decipi. Atque haec omnino prorsus sunt manifesta, si nomina morbis quibusdam iam antiquitus indita cum ipsis his morbis eorundemque caussis tacite nobiscum computamus. Peruulgatissimum inter omnes fere est gonorrhœae nomen; ipsum seminale profluum, quod haec vox exprimit, vel ipsis albis coruis rarius. Ergo mor-

morbus hic, tam frequens, quam qui frequentissimus, alias sit, oportet, ac ille, cui hoc nomen iure meritoque adiici posset. Tunc vero putaueris te a plerisque medicis intellectum iri, si morbum hunc, cui haec denominatio falso tribuitur, catarrhum penitus aut blennorhagiam, licet rectius aptiusque, dicas? Nonne ergo consultius erit, retinere huius modi nomen, iam peruulgatum vobis: quem penes arbitrium est, et vis, et norma loquendi? Haec autem ideo praefati sumus, ut nobis excusationi sit locus, si quis forte ex libelli huius academicci inscriptione alium aestimauerit morbum, quam iste est, quem nunc breuiter sumus descripturi. Quare, lectores,

*aequum est, vos cognoscere, et ignoroscere,*

*Quod veteres facillitarunt, si faciant noui.*

**TERENTIVS.**

**CONOR-**

## §. I.

*Gonorrhoeae notio generatim.*

**D**e nostro autem argumento, cuius explicationem nunc suscipimus, priusquam scribamus, haec letitoribus praecipienda videntur: ne, quae re distinguuntur, verbis siant confusa. *Gonorrhoea* adfæetus a medicis vulgo et ex communi more dicitur is, cuicunque ex vrethra, extra mingendi actum, liquor mucosus, lymphaticus, mox blandus, mox acris et purulentus, parce aut copiose stillat. In quantum vero morbi huius sedes, caussae, et ipsa, quae concurrunt, symptomata inter se discrepant, in tantum etiam varia idem acquirit cognomina: e quibus tamen maxime trita atque usitata sunt ea, quae gonorrhœam in benignam et malignam difficiunt. De ytraque vero, quae tot scriptorum commentariis iam est pertractata, differere nunc quidem, aliud agentibus, nec vacat, nec liber. Silentio autem praeterire non possumus, quodcumque huius generis stillicidium, quod paullo ante descripsimus, si modo ex vrethra fiat, apud plerosque huius rei commentatores *gonorrhœoe verae* obtinuisse nomen.

## §. II.

A 3

## §. II.

*Spuriae speciatim.*

Sed, vt auctor est IOANNES ASTRVC, vir grauis et his in rebus magnae auctoritatis, deprehenduntur interdum quoque gonorrhoeae spuria, et duplicitis quidem generis a). Alterum accidit, quotiescumque omnia fere illa symptomata, quae gonorrhœam veram malignam, a venereo contagio ortam, comitari solent, etiam urgent, et mictionis in primis actum plurimum impediunt, sine ullo tamen liquoris cuiusdam deprauati aut purulenti ex vrethra profluuo: hinc etiam vulgo gonorrhœam sicciam dicunt b). Alterum vero plane seorsum et velut eminenter spuriae gonorrhœae nactum est cognomen: quod, intacta et illaesa vrethra, solam penis glandem, eiusque præcipue coronam adfligit, eandemque eo adigit, vt ex innumeris velut poris humorem stillet, eius prorsus similem, quem in vera gonorrhœa vrethram plorare videmus. Hinc huic adfectui ante nominatus IOANNES ASTRVC c) stillicidii e balano nomen indidit: nuperimi auctores d) gonorrhœam glandis vulgo appellant.

## §. III.

a) In Libr. VI. de morbis venereis; pag. 185. seq. edit Parisiens, ann. 1736.

b) Ibidem.

c) In libr. citat. pag. 190.

d) Verbi caussi, celeberrimus JOSEPHVS IACOBVS PLENCK in der Lehre von venerischen Krankheiten; pag. 55. edit. Wafserberg.

7

---

§. III.

*Gonorrhœa glandis singulariter.*

Ex posteriore hoc genere est illud ipsum,  
quod nunc exactius persecuturi sumus, argumentum.  
Quod si priorum temporum scriptores, qui annos  
ab hinc prope trecentos sua celebritate illustrarunt,  
euoluimus, primus forte omnium, nisi nos memo-  
ria fallit, occurrit THOMAS SYDENHAM, quem  
nominasse satis est; qui hanc glandis gonorrhœam  
obseruando cognovit, eiusque dein mentionem fe-  
cit: *Ipse*, scribens e), vidi virulentam huiusmodi  
materiam per substantiam glandis porosam exsudare,  
non per urethram cieclam, nulloque ulcere, vel glan-  
dem occupante, vel praeputium. Quadraginta fere  
annis post IACOBVS VERCELLONVS, Italus, ea-  
dem in penis glande animaduertit: *Memini*, inqui-  
ens f), plurimorum, qui in membro, in eius modi  
latrinis, vulva nimis muliebri, solum leuiter in-  
tincto, alba sanie postmodum plorarunt per substantia-  
m glandis porosam, etiam citra vulum ulcus. Ex  
his deinde celeberrimus ASTRV C constituit, quod  
diximus, gonorrhœae spuria genus; in cuius de-  
inde sententiam recentiorum plerique consenserunt.

§. IV.

*Morbus primitius et metastaticus.*

Verum enim vero ex his, quae nunc sunt  
disputata, haud difficulter liquet, singula haec spu-  
riae

e) In *Epistol. responsor. secunda*, pag. 388. edit. Oper. Amstelodam.  
ann. 1683.

f) In *Terrabilio de pudendorum morbis*; Cap. III. Artic. II. §. 2.

riae gonorrhoeae genera deberi potissimum inquinamen-  
to vénereo, extrinsecus his partibus applicato,  
ibidemque a bibulis venis sorpto. Huius autem ge-  
neris morbus, cuius cauſa qualiscunque materialis  
in iisdem, quae primum adfecit, locis haeret, ibi-  
demque mouetur, coquitur, tandemque aut illic,  
aut per consentientia folleminia machinae humanae  
cola emouetur, erit primitius aut, si significantrius  
cum Graecis loqui malles, ~~ωροτυπες~~. Quando-  
cunque autem eadem haec materies a loco primum  
adfecto ad alia loca, aut cruda adhuc, aut saltē  
nondum satis percocta, defertur, ibidemque aut  
noua, aut saltē nonnihil mutata coctione opus ha-  
bet; aut si materia morbosa, licet perfecte cocta,  
ad incongrua colla decubitus, nouamque et prioris  
coctionis dissimilem rationem subire cogitur; tunc  
huius modi morbus *translatius*, graece *μεταστάτινος*  
g), appellatur.

§. V.

*Scholion.*

Incidit autem hoc loco perdifficilis et intricata  
quaetio: primo an num venereum miasma, iam  
alibi venis suscepturn et humoribus permistum, ad  
glandis loca per decubitum delabi possit? dein an  
alia etiam humorum nostri corporis inquinamenta  
acria, verbi cauſa, rheumatica, arthritica, pur-  
puracea, scabiosa, porriginosa, et cetera, ad colla  
balani

g) Confer *GALENI Comment. IV. in HIPPOCRATEM de diaeta acuorum*: collatum cum illustris CHRISTIANI GOTTLIEB  
EUDWIGII *institution. Patholog.* §. 420. 421.

balani glandulosa decumbere, ibidemque speciem  
spuriae gonorrhoeae, sed a contagio venereo libe-  
rae, producere possint? In priori quaestione soluen-  
da non laborabimus. Quanquam enim non dubi-  
tamus, quin futuri sint plures, qui huius generis  
metafasin venereum negent: tamen, si bubones in-  
guinales, si testiculorum tumores, si tophos ossium,  
si verrucas et condylomata, in ipsa glande penis et  
vrethrae ductu saepius orta, conspicimus: nae!  
pessimi huius miasmatis migrationes nemini esse pos-  
sunt obscurae. Fierine autem possit, quae altera  
erat quaestio, vt alia quaedam materies acris ad ba-  
lani pudendi loca decumbat, partim ex ipsa huius  
partis structura probabile reddemus, partim confir-  
mabimus exemplis.

### §. VI.

#### *Sedes huius mali descripta.*

Scilicet ipsum iam gonorrhoeae glandis  
nomen eiusdem quoque mali sedem designat. Post-  
quam nimirum cauernosum vrethrae corpus ostio  
suo terminatum est, vtrinque infra in colliculum  
effertur, et inde sursum et retrosum contra se ipsum  
et corpora penis cauernosa replicatur ita, vt velut  
radiato ordine ad posteriorem marginem latescat,  
extuberet, simulque extenuetur, antrorum vero,  
origini propius, sit crassius. Praeditus hic extu-  
mescens margo, coronam vulgo dicunt, instar an-  
nuli, oblique ambit penem, et infra ad colliculos  
imperfecte terminatur; pone vero vallecula a reli-  
quo pene separatur. Ita nascitur *glans*, parabolici  
**B** *coni*

coni dimidii, et superne nonnihil depresso, forma  
haud dissimilis: in cuius internam caueam, itidem  
fere parabolicam, desinunt corporum penis cauer-  
nosorum fines. Inter colliculos dupli plica *praepu-*  
*tium* definit, *frenulumque* constituit, in ipsum  
vrethrae ostium excurrens, et cum huius inuolucro  
interno continuum. Totius glandis licet exquisitus  
sit sensus, hoc tamen loco acerrimus deprehenditur.

### §. VII.

*Idem argumentum continuatur.*

Cuius autem mentio paullo ante est iniecta,  
*praeputium*, ex communibus penis inuolucris, cuti-  
cula nimirum, cute, interpositoque his reticulo,  
compositum, et cellulosa telae ope cauernosis cor-  
poribus alligatum, ut primum confinia valleculae  
pone glandem attingit, liberum laxumque, vaginæ  
in modum, producitur, denuoque in se ipsum re-  
flexum, solo contextu celuloso interecto, reddit  
ad valleculam, eodemque, quo abierat, loco cel-  
lulosis vinculis ad cauernosa corpora religatur, ostio  
ceteroquin huius vaginæ antrorsum patente. Sub  
infima vero et posteriori vrethrae parte in duas col-  
ligitur plicas, frenulum, quod diximus constitu-  
entes, ibidemque cauernoso huius canalis cum cor-  
pore arctius cohaeret. Superne vero et vtroque la-  
tere per valleculam super tumidam glandis coronam  
primo tenerrima progreditur cuticula, vniuersamque  
glandem tegit; substrato dein pulpoſo reticulo,  
modicis foueolis impressis distincto: cui denique ipsa  
admodum tenera, mollis, et velut flocculenta cutis  
exqui-

exquisiti sensus succedit, per cellulosam telam  
paullo strictiorem cauernosae parti connexa. In  
frenulo tandem omnes coeunt.

§. VIII.

*Eiusdem argumenti finis.*

Impressas autem istas Malpighiano reticulo  
foueolas nerueis papillis alii, alii minutissimis glandu-  
lis tribuerunt. Glandis natura eminenter sensilis  
priores negare verat: licet perdifficilis sint demon-  
strationis <sup>h)</sup>. De glandularum autem his in locis  
praesentia iam suspicionem mouent sordes sebaceae,  
vnctuosa, tandemque a mora friabiles; quae in vi-  
ris, post intermissionem diu Venerem, valleculam cor-  
ronamque glandis, immo ipsam hanc totam, ob-  
ducunt, et peculiarem prorsus foetorem, cum alio  
non facile comparabilem, edunt. Deinde vero  
nonnulli magni nominis incisores vera harum glan-  
dularum odoriferarum tubercula, varii multiplicis-  
que ordinis, alba, subdura, et exigua viderunt in  
vallecula, huicque proximo praeputio, porro in co-  
rona glandis, colliculisque frenulo vicinis, immo  
sparsum in vniuersa superficie glandis <sup>i)</sup>. Cum hae  
quoque glandulae sebaceae leuiter prominent et  
turgidulae sint, fieri omnino potest, ut eadem ae-

B 2

que

b) De his tamen conferri nentur, quae distinxerit illustris HAL-  
LERVS in *Element. Physiolog.* Tom. VII. pag. 487. seq.

i) Videbis, verbi causa celeberrimi MORGAGNI *Adversari. I* pag.  
8. Tab. IV. Fig. 4. et *Adversari. IV.* pag. 19. seq. ante omnes  
vero illustris viri, meique praceptoris perpetuo venerandi  
MAYERI, *Anatomische Kuglerstafeln*, *drittes Heft*; Taf. VII.  
Fig. II.

que, ac nerueae papillulae istas, quas diximus, fo-  
ueolas Malpighiano impriment reticulo. Ceterum  
simplici ostiolo, sine memorabilis longitudinis du-  
cta, suis locis in epidermidem hiare videntur k).

§. IX.

*Gonorrhœa glandis primitia.*

Ipsius autem huius seu, pudendis his in locis  
exsudantis, natura olida luculenter admistum quod-  
dam salinum elementum prodit: quod aut variis mo-  
dis hic collectum auctumque, aut extrinsecus indu-  
ctis inquinamentis corruptum contaminatumque,  
irritamento suo chemico, ut solet, secretionem  
huius seu incitare, necessariaeque inspissationis mo-  
ram tollere, nouam acrimoniam inferre, immo,  
haustum forte a folliculi venulis, vicinis arteriolis  
inflammationem inducere potest. Inde nascetur  
*duplex* gonorrhœae glandis primitiae genus (§. IV.).  
Aut enim erit primitia *simplex*: quando hoc se-  
uum naturale, sine alieni inquinamenti admistione,  
mox per calorem ipsius corporis auctiorem, mox  
per iusto diuturniorem in vallecula coronaे glandis  
sub praeputio moram, rancescit, aut alcalescit, aut  
intestino elementorum suorum motu quomodocun-  
que corrumpitur l). Aut erit primitia *composita*:  
quando in ipsa glandis superficie alienum quoddam  
miasma, extrinsecus applicatum hoc cum feuo per-  
niscetur, ibidemque statim blandam eius naturam  
int-

k) Cf. HALLERI *Element. Physiolog.* Tom. II. pag. 401.

l) Huius ordinis videntur suisse eae gonorrhœae, quas summus  
HALLERYS recenset in *Libr. citat.* Tom. VII. pag. 488. seq.

13

indolemque peruerit. Sollemnissimum hic loci  
omnium miasmatum esse folet venereum m).

§. X.

*Gonorrhoea glandis metastatica.*

Harum autem vtraque ad praesens institutum nostrum haud pertinet. Praeter haec enim considerare nos oportet, glandulas has sebaceas membrana componi, numerosissimis picta arteriolis, in folliculi caueam, ut veri videtur simillimum, humorum suum oleosum depuentibus n); maiorum trunculorum, itidem ex amplioribus arteriis ortorum, propaginibus; accipere adeo hac via posse, quidquid in ipso sanguine impurum, corruptum, aut alienum est; eoque certius, sicubi alibi posita colla aut praesenti impuritatum copiae egerendae non sufficiunt, aut quacunque ex causa in praestando suo officio impediuntur. Adde, ut summi demonstrarunt viri o), quod particulis oleosis atque pinguis in toto humano corpore nihil est aptius, magis congruum nihil, ad suscipienda, implicanda, et seruanda cuiuscunq; generis indolisque inquinamenta acria atque salina: siue fuerint indigena et velut domestica nostri sanguinis, siue extranea et alieno ex contagio illata atque nobiscum communica-

B 3

cata,

n) Quo ex ordite sunt gonorrhoeae spuriae ASTRVCI, quas supra excitauiimus.

n) Videsis illustrem HALLERVVM in Libr allegat. Tom. II. pag. 401.

o) Hac super re legi imprimis meretur HERMANNI BOEHAAV<sup>E</sup>  
præfatio, ALOYSII LVISINI Apredicatio præmissa; Lug-  
duni Batavor. CICCCXXVIII.

cata. Quaenam igitur subsit cauſa, non intelligo,  
cur huius modi impuritatum decubitum ad olim  
praedictarum glandularum ſeum fieri poſſe ne-  
gemuſ?

§. XI.

*Eadem multiplex.*

Verum enim vero ex iisdem, que nunc  
disputauimus, porro liquet, pro diuersitate mate-  
riae acris, quae ad memoratos folliculos glandis  
glandulosos et reliqua vascula perspirantia aliis ex lo-  
cis decubit, varias quoque fore has glandis gonor-  
hoeas. Tametsi vero varia eſt cacochymiarum na-  
tura atque mixtio, de qua pathologos consulere  
praefat: tamen hoc loco notari meretur, in exci-  
tando nostro morbo primas eſſe partes cacochy-  
miae salinae, sanguinem inquinantis; siue haec fue-  
rit acida, siue muriatica, siue acalina, siue ammo-  
niacalis, siue denique rancida. Quaecunque enim  
harum infederit praedictis folliculis aut vicinis con-  
spirantibusque arteriolis, ea profecto solidos parie-  
tes quomodocunque irritabit, largiorem humorum  
adfluxum incitat, moraque adeo sublata, et forte  
admisto ſimul acri iſto ſalino, superficiem glandis  
vicinorumque locorum copioſe effluxu, non fine  
dolore, inundabit, ibidemque pruritus, rubores,  
inflammationes, erosiones, et ulcera ciebit p). Ce-  
terum horum quoque effectuum, pro varia ipsarum  
acri-

p) Explicarius haec tradunt HENR. DAVID. GAVBIUS in *infu-  
tion. patholog.* §. 306. et ſeq. et CHRISTIAN. GOTTLIEB  
LUDWIG in *infuſion. patholog.* §. 316. ſeq. edit. alter.

acritatum salinarum indole, varia fore discrimina,  
facile est intellectu.

§. XII.

V. c. rheumatica, arthritica, etc.  
Perpendite iam nobiscum, lectores, corporis humani naturam ita esse comparatam, ut viribus suis actuosis has ipsas acritates morbosas, sive intrinsecus euolutas, sive aliunde illatas, cum reliquis humorum suorum elementis, terreis, aquosis, oleofisque permisceat, iungat, separet, denuoque vniat, adeoque varia ratione multiformes acrimonias compositas enitatur. Ita nascuntur multiplices diatheses morbosae; rheumaticae, arthriticae, scorbuticae, purpuraceae, scabiosae, et quae non? Ita prodeunt miasmata venerea, variolosa, morbillosa, et cetera. Pone igitur, dictarum acritatum compositarum subactionem, coctionem, et per commoda et conuenientia cola electionem a quibuslibet caassis impediri, aut saltē retardari: nonne pars aliqua harum acrum particularum, per venulas recepta, humorum circuitione ad arterias inferiores, hypogastricam, ischiadicam, tandemque pendam communem deferri, ibidemque singulorum istorum effectuum, quos paullo ante (§. XI.) diximus, causa esse poterit? Nascuntur adeo, si huiusmodi acrimoniae in folliculis arteriolisque glandis confiterint, gonorrhoeae glandis metastaticae (§. IV. X.), singulatim purpuraceae, arthriticae quod rheumaticae, serpiginosae, venereae, et reliquae.

§. XIII.

¶ Huiusmodi gonorrhoeam metastaticam in urethra quoque admittit celeberrimus F. SCHWEDIAVER in practicis eben Biobuchsun-

## §. XIII.

*Eiusdem diagnosis in genere.*

Sed quaeres profecto, quibusnam signis eiusmodi gonorrhoea glandis metastatica a primitiva (§. IX.) dignosci possit? Haud negamus, hoc antcipitis esse aestimationis. Quam primum enim huius generis acres particulae, quaecunque fuerint, siue proxima via extrinsecus per ostiola patentia, siue intrinsecus per arteriolas aduehentes, in follicularum cauernulas sunt depositae, idem his in partibus erit irritamentum, eadem effectuum consecutio. Proinde sic affecta penis glans primo leuiter, dein sensim magis magisque prurit, rubet, et inflammatur; inter quae madere incipit, cum mediocri praeputii intumescientia et rubore; mox stillans lympha euadit sensim subuiscida et purulenta cum modica epidermidis excoriatione, immo sigillatim, si venerea fuerit, exulceratione, absente tamen mihi dolente aut molesto: nisi forte complicata sit vrethrae gonorrhoea; vti nonnunquam in syphiliticis solet. Haec ergo omnia de vitroque huius gonorrhoeae genere valent. Sed si his in aegris antea dolores rheumatici atque arthritici, aut exanthemata chronica adfuerunt, et tunc temporis cessant, superueniente dicta gonorrhoea; quae forte recrudescenibus pristinis illis malis denuo imminuitur, immo prorsus euanescit: tunc de metastatico huius morbi ge-

gen über venerische Zufälle; pag. 80. edit. Vindobonens.  
clxcccxxxvi.

generē te certum esse oportet r). Paullo alia vero huius generis gonorrhœarum est natura, quae ex acutis exanthematibus et venereo miasmate, intus iam ab humorum massa suscep̄to, ad glandem decumbunt. Priorēs enim cum ipso morbo primario finiuntur: posteriores vero remediorum quidem aptorum vsu tolli possunt, facile tamen recrudeſcunt, nisi impurum miasma penitus ex aegrotantis corpore fit eiectum.

#### §. XIV.

##### *Eidem medendi methodus.*

In recensenda autem his gonorrhœis medendi methodo non erimus iusto longiores. Medicorum enim neminem ignorare decet, primariam hic principis morbi sanandi, cui huius modi gonorrhœa per metastasin superuenit, habendam esse rationem: quam ex clinicis institutionibus repeti volumus. Istorum morborum indeoles si permittat, vesicantium, cucurbitularum, hirudinumque vsu acres particulae ad conuenientiora cola auocari, morbi que metastatici curationes iuuari possunt. Ipsa autem glans male affecta, quam diu adhuc prurit, rubet, et inflammatione laborat, quinque sexiesue per diem tepido lacte eluatur; imminuto vero dein

ali-

r) Caue tamen, ne forte accessoriam gonorrhœam, ex admisso inter haec impuro coitu ortam, cum metastatica confundas.

aliquot diebus post pruritu, et humore profluente iam paullo viscidiiori facto, quarta circiter pars aquae calcis viuae lacte admisceatur, tandemque cessante denum inflammatione ipsa glans, reuoluto, si fieri potest, praeputio, singulis binis aut trinis horis solutione mercurii sublimati externa Plenckiana <sup>s)</sup>, aut aqua phagaedenica dispensat. Brandenburg. aut aqua grysea <sup>GOHLII t)</sup>, vtraque posteriori aquae adfusione maxime temperata, probe lauetur, donec omnis pruritus et omne stillicidium profus euanescit.

§. XV.

*Huiusmodi gonorrhoeae exemplum.*

Supereft, vt aliquot exemplis, quae nobiscum PRAESES et praeceptor omni pietate colendus communicauit, harum gonorrhoearum metastaticarum historiam illustremus. Primo recensēbimus loco gonorrhœam huius generis, ex metastasi arthritica ortam. Vir triginta octo annorum, in vicina Lusatia diuini verbi praeco, iam ex aliquo tempore, ineunte semper hyeme, satis grauibus podagricis doloribus erat vexatus. Forte autem accedit, vt medio circiter mense Nouembri anni

<sup>s)</sup> Videſis JOSEPHI IACOBI PLENCKII *Lehre von den venerischen Krankheiten*; pag. 262. edit. german.

<sup>t)</sup> Formolam vide in *Schulzianis praelectionibus in Dispensator Brandenburg*, ab illustri PRAESIDE Noribergæ anno 1515CLIII, editis; pag. 43.

cliecccccxxxviii., cum nuper ingressi podagrī cruciatus nondum penitus deferbuerant, tempestate satis pluviōsa atque frigida, ad alterum pagūm, cuius sacrī ipse quoque praeerat, consolandi cuiusdam aegri cauffa vocaretur. Eodem die redux non auctos quidem podagracē gonagraeque sensit dolores: altero vero die post insignes vtriusque cruris succēserunt stupores torporesque, paullo post iterum euanscentes. Vix autem elapsis quatuor diebus ex improviso glans penis leuiter prurire et madere coepit, subsecutis sensim omnibus singulisque ictis symptomatis, quae praefentem glandis gonorrhœam declarant (§. XIII.), Honestissimus vir nec facinorosa libidinis, nec impuri contagii vñquam concepti conscius, vxor enim liberique perfectissima fruſtantur valetudine, hac super re maxime animo angī coepit, ideoque mox optimi PRAESIDIS opem implorauit. Hic, probe expensis omnibus, statim veſicatorium ad furas adplicuit, praemissa ad genua pedesque cucurbitularum, concisa prius cute, admissione. Post aliquot dies remisit acre et pruriens profluuium, glande inter haec iis remediis, quae diximus (§. XIV.), lota. Septimo dehinc die recruduerunt non nihil arthritici dolores, noua metastasi in prius affectis locis facta, et euanuit gonorrhœa, eo ex tempore nunquam redux. Quotusquisque est, qui hic metastaticam indolem huius morbi non agnoscat?

C 2

§. XVI.

## §. XVI.

*Alterum exemplum.*

Aequo memorabile acrimoniae *rheumaticae et purpuraceae*, ad penis glandem decubentis, exemplar *PRAESIDI* exhibuit mercator quidam Fürstenbergenfis, paene quinquagenarius, homo ceteroqui robustus, vegetus, et belle valens: nisi quod toto fere hyemali tempore doloribus rheumaticis, hinc inde vagis, plerumque tamen femora adficientibus, iam ex vndeclim annis laborat. Quam primum vero Maio mense soluitur acris hyems, redunt iam gramina campis arboribusque comae, soluuntur quoque rheumatici dolores, pedetentimque nascitur glandis gonorrhoea, eius prorsus generis, quam supra descripsimus (§. XIII.). Huic autem paullo post ipsa natura sua sponte medetur. Quippe, vix elapsis ab huius ortu decem duodecimue diebus, ad interiora femorum loca erumpere incipiunt sudamina purpuracea, vulgo in medicorum scholis chronica aut scorbutica dicta: a quorum eruptione, quae mox vniuersam occupat cutem, manifesto acre glandis imminentur profluum, tandemque prorsus definit. Cum ante tres annos, huius molesti in glande madoris caussa, *PRAESIDEM* aeger hic consuleret, auctor hic fuit, ut ante consuetam huius gonorrhoeae accessionem, ineunte vere, aliquoties per dien glans aqua ista mercuriali Plenckiana maxime diluta (§. XIV.) probe eluertur. Qua methodo dein per duo iam annos glans penis hoc a decubitu defensa est, naturaeque molimina

mina metastatica in sola sudaminum purpuraceorum  
propulsione substituerunt.

§. XVII.

*Exemplorum ultimum.*

Liceat denique nobis, gonorrhoeae huius  
partis serpiginosae et intertriginoſae singulare quoque  
adferre exemplum. Vir nobilis et ingenuus, C. de  
L. sex supra quinquaginta annos natus, procerus,  
habituque corporis paulo sicciori praeditus, coecis  
haemorrhoidibus et frequenti alii constipacione  
vexatus, iam longo ex tempore maximos perfere-  
bat pruritus molestissimos ex intertrigine summo-  
rum femorum et serpagine ad anum scrotumque.  
Suau medici sui domestici, huius mali cauſa, quot-  
annis acidulas Freienwaldenses adibat, iisque, bal-  
nei loco, vtebatur: sed proſus in caſsum. Ibidem  
cum quoque eſſet anno 1569 commen-  
dauit ipſi, nescio quis, vſum aquae vegeto-mine-  
ralis Goulardianae externum, ad adfectas partes ap-  
plicandum. Hinc mox quidem ſiccari coepерunt  
vleſcula serpiginosa: confedit autem paullo post  
acerimā haec materies in glandulis balani ſebaceis,  
ibidemque adéo vehementer pruritum, inflamma-  
tionem, et exulcerationem effecit, vt miser aegro-  
tus, ne temporis quidem momento, vllum oculis  
capere poſſet ſomnum. Cum forte fortuna, eodem  
tempore, ad dictas acidulas commoraretur PRAE-  
SES noster, huius conſilium in tanto valetudinis  
discrimine expetiit aegrotus. Hunc ergo ante  
C 3 omnia

omnia abstinere aqua Gouardiāna, balneorum vero in vſu pergere, ille iussit. Laesa glans, quotiescumque fieri posset, lačē cum althaeae radice decocto est fota et lota, tandemque dilutissima aqua grysea **COHII** iterum in integratatem restituta. Intus satis larga copia quotidie est hausta decocti aquosī radicis graminis, taraxaci, et caricis arenariae. Elapſo quoque balneorum tempore fonticuli ad vtrumque crus ſunt excitati. Ita rediit quidem intertrigo, ſed longe mitioris acritatis atque pruritus, et demum, vſu praedicti apozematis per aliquot annos continuato, optabilem attigit finem.



**ORNA-**

ORNATISSIMO  
C A N D I D A T O

SATYRUM D. C. S. R. HONORIS

P R A E S E S .

Nae! tu ex iis optimis iuuenibus vnuſ fuisti, AMI-  
CISSIME KLAERICH, qui non maturare, sed ma-  
tureſcere; non cruda ex academiis referre ſtudia,  
ſed exculta atque perfecta malebant. Integro enim  
quinquennio tanta adſiduitate in addiſcendis doctri-  
niſ philosophicaliſ atque medicis operam collocaſti  
tuam, vt omnes amicorum TVORVM non ſperare  
ſolum, ſed etiam confidere poſſent, TE, quam de  
TE conceperant, exſpectationi prolixe eſſe ſatiſfa-  
ctorum. Bene igitur merenti, ex ordinis noſtri  
concluſo, dabitur TIBI a me honorifica medici  
doctoris laurea: quam vt tu ipſe ornabis, ita et  
illa TIBI ad ampliores honores viam parabit. Ce-  
terum vale optime, meque, vt facis, amare perge.  
Scr. d. IX. Calendar. Nouemb. cIICCLXXXVI.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE  
IOANNI SEBASTIANO KLAERICH,  
SVPREMOS DOCTORIS HONORES

MOX CAPESSVRQ,

S. D.

PETRVS FRIDERICVS GILLET

SVPREMI DIRECTORII REGII AB EPISTOLIS SECRETIS.

Cuius amicitia atque familiaritate iam diu fruor,  
quidni etiam particeps fierem eius gaudii, quod ex  
amplissimis istis doctoris honoribus, in TE mox  
conferendis, locupletissime percepturus es? Ego  
profecto, sicut hanc ipsam dignitatem **TIBI** ingenuie  
gratulor, ita quoque nihil magis in votis habeo,  
quam vt in aucta hac et in dies magis magisque in-  
crescente rerum **TVARVM** felicitate mei, quippe  
**hominis TVI** amantissimi, nunquam obliuiscaris.  
Vale. Dab. Berolini, d. VIII. Calend. Nouembris,  
**ciccccicccccccccc**



LIBRARY

26



DA A 6631

ULB Halle  
002 934 922

3



5b





GLANDIS  
GONORRHOEAM  
METASTATICAM

28

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI H. T. DECANO

D. OCTOBRIS MDCCCLXXXVI.

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICE EXPOSIT

AVCTOR

IOANNES SEBASTIANVS KLAERICH.

FRANCOFVRTENSIS MARCHICVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.